

CAP. III.

De Subiecto Quantitatis, deque variis quantorum generibus & speciebus.

§. I.

Subiectum quantitatis est id, quod quantum vel tantum dici potest, idque (1) principaliter & immediatè, ut prædicatarum rerum quævis, determinatè spectanda v. g. aureitas, mixtio, multitudo, longitudo, gravitas, pretiositas &c. de quibus quæri solet immediatè, quanta sint? & responderi, tanta, vel tanta.

(2) Consequenter & mediatè, ut ipsæ res, quæ secundum certa prædicata determinatè spectantur, ut nummus, planta, planeta, tabula, lapis, vestis, &c. cùm ad quæstionem quanta sint? puta secundum hoc vel illud prædicatum spectata, responderetur v. g. tantam esse tabulam, puta secundum longitudinem; tantum esse lapidem, puta secundum gravitatem; tantam esse vestem, puta secundum pretiositatem &c. Vel explicatius in obliquo casu, tantam esse tabule longitudinem, tantam esse lapidis gravitatem, tantum esse planetarum numerum, tantam vestis pretiositatem, tantam nummi aureitatem, ut vera sit & perfecta, i. e. summa.

§. 2. Notandum tamen hoc loco est, *Metonymia* quædam Adjuncti pro subiecto (quæ doctis pariter & indoctis familiaris est) sæpius etiam abstracto Quantitatis vocabulo subiectum ipsum innui. v. g. quando penes Ictos res fungibiles, quæ sæpius in commercium veniunt, & plerumque sub certâ mensurâ spectantur, ut oleum, pecunia, frumentum &c. Quantitates dicuntur &c. Item quando vulgò *Extensio*, plerumque